



Disputatio juridica inauguralis ad legem Pompejam de parricidiis

<https://hdl.handle.net/1874/341914>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,

Ad Legem POMPEJAM

P A R R I C I D I I S,
^{D E}

Q u a m,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOANNIS LUYTS,

Philosophia Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Utrechtina Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicî consensu. Nobilissimeque

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privi-
legiis rite solenniter & MORE MAJORUM consequendis.

Publica Censure & disquisitioni subjicit
ABRAHAMUS A KERCKRAAD, RHENO TRAJECT.

A. D. Junii, hora locoque solis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc LXXXVIII.

VIRO AMPLISSIMO, GRA-
VISSIMO, CONSULTISSIMO
D. PAULO VOET
à WINSSEN JC^{TO}.
HUJUS CURIÆ PROVINCIALIS
VIRO SENATORIO
ATQUE HUJUS URBIS CONSULARI
NUPER
AD ORDINUM FOEDERATI
BELGII CONSESSUM
QUI HAGÆ COMITIS EST
DELEGATO
NUNC VERO HUJUS PROVINCIAE
ORDINIBUS A SECRETIS.

M U Hoc Inaugurale Exercitium devotæ animi
tesseram sacrum facit

ABR. à KERCKRAAD, A. & R.

PROOE M I U M.



*Ntiquus mos est & usus jam diu Ve-
tus obtinuit ut illi quorum animus
fert studio quidem Juridico in Are-
na Academica defungi Gradumque
Doctoratus capere & in Patrono-
rum censum inscribi, primo quidem sese Doctissi-
morum Virorum & Antecessorum tentamini &
Censuræ subjiciant antequam ad majora prove-
hantur. Quod sane cum ab ingenio meo non esset
alienum, quippe qui majora molirer, nec amplius in
primordiis mihi desudandum esse censerem, atque
etiam hac in re amicorum voto, qui & nunc auto-
res sunt & ab aliquo jam tempore fuerunt, diutius
refragari non auderem, imo nec possem, quia quod
petebant videbatur rationibus niti, consultum fuit
me examini exponere; Per Juris itaque materias
quæstionibus habitis proposita mihi materiarum
quadriga a Nobiliss. facultate Juridica quæ di-
sputationis mihi fundamentum jacerent, uti sunt
de Vi, de Parricidis, de Judiciis, l. 8. D. de
eo quod certo loco. Ex hisce cum præ ceteris
arrideret illa quæ est ad L. Pompejam de parri-
dis dubius non hæsi quin explicandam arriperem.
Inscias nullus eo quosdam fore qui negotium hoc*

A 2

à me

P R O O E M I U M.

à me susceptum reprobaturi essent, quasi nimis grave & à nostro quidem captu alienum. Verum tamen cum jacta sit alea ea quæ intrivimus nobis exedenda sunt, hoc nobis autem erit solatio quod à Benev. Lect. petimus & daturum nobis illum esse sperabimus, nostra ne dedignetur. Diligentiam enim meam in expoliendo hoc argumento non passus sum desiderari. Sed ea hodie cum sit temporum calamitas ut nihil à vitilitatorum labe & veneno maneat incontaminatum, vereor ne & illi in me meaque conjurent: sed flocci eos facio, quam difficile enim sit ad omnium salivam aut loqui aut scribere probe scio, & procliviores nonnullos ad aliorum dicta factare involanda quam sua recte curanda, vitium hoc innatum plerisque omnibus aliena ut melius videamus quam nostra, sic fert usus, sic res sese habet, ut te tua, me mea delectent inquit Cicero. Nemo ab invidis intatus, nemo ita omnibus numeris absolutus quin adversus eum ex Zoili secta aliquis in surgat: Valete & ut æqui Judices æquam juxta judicij lancem judicare ne detrectemini.

DISPU-

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

Ad Legem POMPEJAM

D E

PARRICIDIIS.

THE S I S I.



T ordine nostra quidem procedat disputatione, notabimus variam vocis significationem, & sumi vel in *specie* vel in *genere* vel ut alii volunt vel *strictè* vel *Late*, atque & ita quidem *omne homicidium* denotat, uti apparet ex verbis Legis quam tulit *Numa Pompilius Romanorum Rex*. Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit parricida esto.

Mentionem facit Lex *Hominis Liberi*, ideoque commode concludi posse autumo, servum, tunc temporis impune potuisse occidi. Ratio etiam quia ex *supervacuo de libero cavisset si & eadem de servo voluisse intelligi*. Exinde etiam qui hominem cecidit parricida dicitur quasi qui parem occidat, uti docet *Ræv. ad R. f. C. 108. Pac. ad §. 6. f. de publ. Jud. Etiam Florus l. 1. C. 9.* Homicidium *Bruti parricidium* appellat *Brutus* vero (inquit) favori *Civium* etiam *domus sua clade & parricidio velificatus est*. Sed & *parricidium* dicitur *Romuli fratricidium* uti *Min. Fel. in Olt.* inquit *ut ipse Romulus Imperator & Rector populum suum facinore præceleret, parricidium fecit*. Eodem modo *Hieron. ad ad Mon. Rust. Ep. 4. Roma ut condita est duos fratres simul Reges habere non potuit & parricidio dedicatur*. Et *Just. de Cambyses* l. 1. C. 9. *Quo somnio exterritus non dubitavit etiam post sa-*

6 DISPUTATIO JURIDICA

erilegia parricidium facere. Sed apud veteres Romanos ille parricida etiam dicebatur qui Reus esset capitalis criminis Cic. l. 2. de LL. *sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsi ve parricida esto.*

I I.

Verum quemadmodum voce parricidii indigitabatur homidium sic etiam ejus nomine veniebat Cædes Principis. ita Val. Max. l. 1. C. 8. n. 8. *Jul. Cæs.* necem ipsi à Cassio & Bruto illatam Parricidium vocat. Facta mentione urbis è qua primordia civitas nostra traxit Divus Julius fausta proles ejus se nobis offert quem C. Cassius nunquam sine præfatione publici parricidii nominandus &c. Ideo etiam Idus Mariae quibus *Jul. Cæs.* cæsus est parricidium dictæ sunt & eo die nunquam Senatus actus fuit uti Suet. in *Cæs.* C. 88. Etiam *Justinus* l. 2. C. 7. *Philipp.* Cædem dicit parricidium. Et non tantum ille qui Principem Lætho dat verum ille qui Principi struit insidias hoc nomine notatur; Constat hoc sane ex Studii Politici fonte *Tacito* l. 1. *Histor.* C. 85. Igitur versare sententias & huc atque illuc torquere hostem & parricidam Vitellium vocantes. Etiam *Curt.* l. 6. C. 7. quibus Juvenis audiis se vero fidem in parricidium dedisse constanter abnuit. Docet quoque Clarissimus & Eruditioñe Celeberrimus Vir *J. G. Grævius* cuius institutioni multum debo, ideoque multis mihi nominibus suspiciendus, in *Not. Priv.* ad *Suet.* in *Jul. Cæs.* C. 84. *Conspirationem in Cesarem & Crimen Laſa Majestatis* fuisse parricidium vocatum sub Imperatoribus. Etiam Crimen *Conjurationis adversus Patriam* dictum est Parricidium, uti. *Cic. Philipp.* 2. Etenim cum homines Nefarii de patria parricidio confiterentur; Et qui adversus patriam conjurat dictum parricidam patet ex *Flori* l. 4. C. 1. quam sententiam fecutis omnibus in carcere parricide strangulantur. Constat quoque ex eodem *Bellum Civile* dictum fuisse parricidale l. 3. C. 21. Hoc unum deērat Pop. Rom. malis jam ut ipse intra se bellum parricidale domi stringeret; legendum uti recte Viri Doctimonent. ferrare parricidale, cum nullibi legatur bellum stringere. Atque ita variam vocis significationem vidimus stricte vero cum sumitur necem Patri significat quasi dicas Parricidium. Quod etiam affirmat *Quintil.* 8. *Instit. Orat.* C. 6. In lege de qua agimus accipitur pro nece omnibus illis quidem illata

I N A U G U R A L I S.

illata quos Jctus speciatim hic enumerat & recenset ut in *I. i.*
3. & 4. ff. b. t. & hæc quidem de varia vocis interpretatione di-
xisse sufficiat.

I I I.

Quia non prorsus alienum subjicere quænam Leges de hoc Crimine sunt rogatae & quæ circa illud Juris fuerit successio, Primo paucis præmittere quæ in *Politia Judaica* obtinuere impetus est, & inspicere quomodo Deus ipse tales punire voluerit, qui nefando huic sceleri sese dederent, nec abhorrent illis manus injicere quibus Natura & Legibus vita debetur. Certum, itaque uti ex Sacris Paginis constat, non aliter punitos quam ultimo supplicio, & non solum qui occidit, sed & percutit atque etiam parentibus maledicit, moriendo moriebatur, uti docet Moses *Exod. 21: v. 15, 17. Lev. 20: v. 9.* & aliis ex Locis clarum est. Notat etiam Zepper. de *L. L. Mosaicis* non aliam poenam obtinuisse quam ut *illius qui sanguinem effudit etiam sanguis effundetur.* quod etiam docet Clariss. P. Voet. ad *J. b. t.* & Collatio *LL. Mosaic. & Rom. tit. 1. de Sic. & Hom., Calv. l. 4. Instr.* & mirum nequaquam hoc videri debet non aliam poenam in usu fuisse eo tempore, quis enim cui vel modicum superest rationis, arbitraretur tantæ quemquam posse dari audaciæ aut immanitatis qui vitæ auctori quidem eriperet? Unde *Solon* interrogatus *Cur nullum supplicium in cum statuisset qui parentem necaret,* Sapienter quidem respondit se id neminem facturum existimasse; Papinianus etiam inquit *l. 15. ff. de Condit. Instr.* namquæ facta lœdunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est. Imo & Persæ nunquam aut parentem aut matrem occidisse quemquam putabant, uti testatur *Herod. l. 1.* sed si quid forte illius acciderit aut *Subditios* aut *spurios* fuisse deprehensos.

I V.

Expositis quæ *Iure Mosaico* obtinebant, transibimus ad illas leges quæ Romanos inter hoc scelus vindicabant & quænam fuerit inibi circa illud Juris successio. 1. *Romulum* de solo homicidio legem tulisse testatur *Plutarchus* in ejus vita ubi illam ex legibus ab eo latis refert *πῦρ ἀγέφονια πατροῖσιν*

omnes

8 DISPUTATIO JURIDICA

omne homicidium parricidium. Hunc secutus *Numa Pompilius* cuius Legis superius Thesi 1. meminimus. 2. Locum habuit Lex *Servii Tullii*, quæ ut aliqui putant de *Parricidis* fuit, verum nihil nisi sola conjectura exstet, illud autem certum statuit *Festus* in verbo *Plorare ea lege de pulsatione parentis quid cautum fuisse*. *Bodin.* l. 4. C. 4. *Bruisson.* in *form.* l. 2. Sequitur 3. Loco *Lex 12. tabb.* quæ *parricidas Culleo punivit*. *Val. Max.* l. 1. C. 1. In legibus *Atheniensium* vero & *Lacedæmoniorum* nulla mentio fiebat parricidii sed solius tantum Cædis, uti testatur *Petit*, ad *LL.* *Att.* l. 7. *Tit.* 1. *Meurs.* in *Them.* *Att.* l. 1. C. 2. & l. 2. C. 1. *Crag.* de *Rep. Laced.* l. 4. C. 10. Conscripta 12. tabb. lex fuit Anno post *V. C. 302.* uti *Sigon.* de *Jure Rom.* l. 1. C. 5. testatur. 4. *Cornelius Sulla* quæstiones publicas constituit & prætores auxit qui de Criminibus quærerent *ao. ab V. C. 672.* *M. T. Decula* & *Cn. Corn. Dolabella* Coss. atque hoc etiam anno inter alias *Lex Cornelia* de *Parricidis* lata §. 32. ff. de *O. J.* antea vero quam *Cicero* causam Rosci defensisset, quæ acta *ao. ab V. C. 673.* *Sulla* Di-
ctatore & *Metello* Coss. uti *Gel.* l. 15. C. 28. & *Cic.* 3. *Verr.* Etiam *Ramos.* l. 4. de *Erroribus Tribonianis* notat: Et patet mani-
festè exinde quod ante Sullam hæc judicia exercebantur coram *Quæstoribus Parricidiis* §. 23. ff. de *O. J.* Cum vero ejus tem-
pore & post eum hæc fiebant coram Prætoribus quod clarum ex *Cicer.* qui Rosci causam coram Prætore *Fannio* ageret. Et
hac lege *Cornelia antiquiorem* quæ *Malleoli* *Parricidium* pu-
niebat cuius meminit *Cic.* l. 1. *Invent.* Confirmatam putat *Ra- mos* l. 4. de *Error. Tribon.* & *Sigon.* de *J. Rom.* l. 3. C. 31. Se-
quuntur nunc 5. Lex Pompeja quam tulit *Cneus Pompejus Ma- gnus* Consul cum *M. Crasso* anno *V. C. 781.* uti docet *Harppr.* ad §. 6. *J. de publ. Jud.* & *Giphan.* ad d. §. 6. sed dubius horum
virorum calculus in transitu tangendus: Volunt illi hanc Legem
anno *V. C. 781.* conditam & 3. quidem Consulatu *Pompeji* quod
manifeste contra Fastos Consulares pugnat, quibus patet hos Col-
legas *ao. 683. V. C.* in quem 2us. Consulatus *Pompeji* incidit:
Docet vero *Ramos* fuisse annum *V. C. 701.* quo tempore etiam
quod & Fasti notant, tertium Consulatum gessit *Pompejus*, qui
eo anno solus per septem menses Consul fuit ut iisdem Fasti do-
cent:

cent: sed hæc lis sub Judice per nos licet suspensa maneat. Notandus hic etiam error magnus Pomereschi ad §. 6. *J. de P. J.* qui docet hanc legem latam a *Sexto Pomp.* qui nescio unde in talem virum cadere possit. 6. Sequitur Constitutio D. Hadriani cuius meminit l. 9. ff. b. t. quod etiam *Rutershus.* notat ad LL. 12. Tabb. C. 11. Clasf. 2. jubebat autem hæc Parricidam bestiis objici ubi mare non foret proximum. 7. Venit illa lex quam renovavit *Constantinus Magnus* uti patet ex l. un. C. de his q. par. vel lib. occid. quam legem etiam comprobavit *Justinianus* §. 6. *J. de Publ. Jud.* Atque ita quidem ex horum locorum inter se se comparatione manifestum est quomodo Legislatores Crimen hoc aspernum, uti ab Imperatore vocatur. d. §. 6. *J.* (quem emendandum putat *Ramos. Lib. 5. de Error. Tribon.*) suis rogationibus vindicarint & singulare in Parricidas supplicium statuerint cum intelligerent *Nihil esse tam sanctum quod non violaret aliquando audacia*, ad quæ verba etiam ludit illud *Horat. l. 1. ode 3.*

*Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per veitum nefas:
Nil mortalibus arduum est,
Cælum ipsum perimus stultitia, neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.*

V.

Ulterius videndum venit cum *Parricidium* annumeretur *Publicis Indiciis* ea quotuplicia fuerint & cur *Publica* dicta sint. Apud Romanos duplia fuere *Judicia*; Alia enim *Ordinaria* que solito siebant juris ordine, Alia *Extraordinaria* in quibus *Magistratus ipse seu Pretor cognoscit & judicat quasdam causas nullo dato judice.* Atque hæc *Cognitiones* proprie appellantur. Ipsius autem *Prætoris* erat aliquando officium cognoscere quasdam causas, uti *cognitio* erat de *Honorariis Advocatorum, Medicorum* l. 1. ff. de *Extraord. Cognit.* item *Restitut.* ex *Ed. de minor.* l. 13. §. 1. ff. de *minor.* Iterum *Ordinaria* fuere duplia vel *Privata* que per *Judices privatos a Prætore ex albo suo datos de causis privatis secundum leges exercebantur.* Huic albo erant inscripta *Judicum nomina, hinc Plin. quid te judicem facis? cum hanc operam condicerem*

10 DISPUTATIO JURIDICA

non eras in hoc albo: Vel erant Publica que de criminibus Quaestore aliquo Judicium exercente judges dati ab eo, secundum leges à populo latas, exercent. Dicta autem sunt Publica propterea quod cuius è populo execuio eorum plerumque datur §. 1. f. de publ. Jud. Et notandum Executionis verbum pro persecutione vel quod alii volunt pro accusatione ponи. l. 11. D. de accus. & l. 1. §. 1. D. de Inc., Ruina, Nanfr. Addendum illud vocem plerumque hic poni pro fere quia sunt quibus hæc potestas Jure publico adempta est l. 48. §. 10. ff. de R. N. juncta l. 8. & 9. ff. de accus. Ideo etiam publica dicta quod causa sint publicæ uti Vinn. in brev. Not. ad §. 1. f. de Publ. Jud. Et sane si queratur Ratio cur populo eorum execuio permittatur, probabilis hæc & vera videtur quod in his judiciis agatur de illis delictis quæ maxime ad læsionem & turbationem Status publici pertinent. Quod etiam testatur Cujac. 8. Observat. 33. Etiam Vinn. ad d. §. 1. f. de P. f.

V I.

Uti varia fuerunt Judicia ita etiam crimina, fuerunt enim alia Ordinaria quæ præter nomen etiam certam Legem, certam formam, & certam poenam habent, ut Majestatis, Adulterii &c. Unde etiam legitima appellantur l. 3. §. 2. D. de stellion. Item legitime quæstiones l. 2. ff. de O. f. Et publica leges. l. 1. §. 1. D. ad l. Corn. de sic. Etiam Judicij publici exercitio l. 1. D. de off. ej. cui mand. Alia iterum Extraordinaria quæ accusantur exrra ordinem poena arbitrio Judicis irroganda l. 3. ff. de Priv. Del. l. 92. ff. de furcis. Dicuntur etiam crimina non legitima quia nec legem nec formam nec certam poenam habent d. l. 3. §. 2. D. de stell. Græcis quidem Αδικία alia dicuntur Νομία h. e. legitima alia ἀγράφα i. e. non scripta seu lege non comprehensa. Dividuntur etiam quod Capitalia sint quæ caput Civitati eximunt vel per mortem naturalem, quæ ultimi supplicii nomine venit, vel per mortem civilem. l. 12. D. de P. f. Uti apud vereres erat Aque & ignis interdictio vel postea (quæ in hujus locum successit) Deportatio. l. 2. D. de poenis. Sed præterire nequaquam possum hujus apud Antiquos penæ rationem, licet etiam plerisque Antiquitatum periitis non sit ignota. Olim cum secundum statuta Majorum &

vetu-

vetustissimas leges vita cipi Civi Romano non posset uti *Cic.*
pro *Balbo & Cecinna*. Et *Paulus l. 5. Sentent.* testatur, ne ta-
men eorum peccata manerent impunita, postulavit publicæ disci-
plinæ necessitas Viam & Rationem excoxitare qua tamen noxii
plectarentur; Et ita quidem inventa hæc pœna, qua ictis subsi-
diis, quibus humana vita sustinetur, ipsi reo interdicebatur, *Ovid.*

4. *Faſt. v. 791.*

An quod in his vita canſa eſt &c.

Habuit hæc pœna locum usque ad tempora *Imperatorum* uti
docet *Gothofr. ad l. 1. §.2. ff. de Leg. 3. & d. l. 2. D. de pœnis*. Etiam
Zoes. ad tit. de P. f. ff. n. 3. sublata hæc *Augusti* constitutione,
uti *Dion. l. 39. Cujac. 6. obſ. 39.* & *Gothofr. ad d. l. 2. de pœnis.* te-
ſtantur. Alia autem *non Capitalia* dicuntur *que ſalvo capite, tum*
quod ad Libertatem, tum quoad Civitatem, vel irrogant infamiam
vel pœnam pifco inferendam, vel aliquam corporis coercitionem l. 2.
D. de P. f. §. 11. I. eod. l. 28. D. de pœnis. Etiam *Schneidew. ad I.*
d. t. n. 3. Wiffenb. ad D. eod. n. 5. Vinn. ad §. 2. f. d. t. Zoes. ad D.
cod. n. 3.

V I I.

Dictum de Criminibus & Judiciis publicis, agendum venit
de *Quæſoribus* & dicti sunt *Quæſtores* quasi *Quæſitores* & *Inquisi-*
tors. Hinc *Virgil. 6. Aeneid. v. 431.*

Nec vero hæ ſine sorte date ſine jndice ſedes
Quæſitor Minos urnam movet.

Fuerunt autem varii Quæſtores, sed nos de illis tantum agimus
qui *Judicium publicum* exercuerunt quod *Quæſtionem* vocabant
uti testatur *Rof. l. 9. Antiq. Roman. C. 18. p. m. 1474.* sed cum
hic Locus *Virgilii* mentionem facit & *Sortis* & *Urna* nequeo quin
paucula de illis addam. Per Sortem intelligitur *Sortitio Indi-*
cum quæ hoc modo fiebat. Cum disceptandum eſſet judicium
„, quoddam publicum & summa dies Reis eſſet dicta, Prætor
„, advocabat Judices, nominatim unoquoque citato & horum
„, Nomina quidem inscribebantur tabellis quæ in Urnam conjice-
„, bantur, qua quidem ſæpius agitata extrahebantur tot sortes quot
„, requirebantur ad implendum numerum præscriptum: Illi au-
„, tem quorum nomina jam exiverant causam cognituri ſedebant;

12 DISPUTATIO JURIDICA

„Verum cum hæc Sortitio quidem esset peracta liberum erat
„adhuc Accusatori & Reo eos removere quos suspectos puta-
„bant, tum in remotorum locum novi sorte sublegebantur qui
actus *Subsortitio* dicta est *Poletus l. 5. C. 7.* Cum sortitio insti-
tueretur tabellis inscripta Judicum nomina in Urnam conjicie-
bantu rex qua tot extrahebantur quot Prætor illius Quæstionis
hoc Judicium exercere debere existimabat. Urna vero aut Si-
tella ut volunt aut *Cista* fuit, in quam sortes mittebantur. Ur-
na eleganti quidem translatione & *Sortis* meminit. *Horat. l. 2.*
Od. 3.

*Omnis eodem cogimur, omnium
Verjatur urnas serius ocyus
Sors exitura.*

Similis fere etiamnum apud *Venetos* sortitio locum obtinet in
eligidis Duce & Senatoribus, ea enim fit per Globulos aureos
& argenteos, qui in Cistulam quandam conjiciuntur.

V I I I.

Cum variæ quidem à Variis Judicia publica sint exercita no-
tandum illud venit priscis temporibus ipsos Reges primo Co-
gnitionem rerum Capitalium habuisse, quod tempore *Vet. Te-
stam.* etiam obtinuit & asseritur Exemplo *Schelomonis Regis
Iraelitarum* cum judicium inter dissentientes de infantibus me-
retrices in ore omnis Populi exerceret uti patet ex *I. Reg. C. 3.*
Idem fecisse *Romulum* refert *Dionys. Halic. l. 2.* *Romulum* enim
Regem delicta maxima cognovisse, majora Senatoribus permisisse.
scribit. *Livius. l. 1. C. 49.* inquit *Superbum cognitiones rerum ca-
pitalium sine consilii per se solum exercuisse, perque eam causam
& occidere, in exilium agere, & bonis multare potuisse.* Sub-
latis deinde Regibns in eorum locum *Consules* successerunt:
Brutus enim *Consul* de *conjuratis causa cognita supplicium sumxit*
testante eodem *Liv. l. 2. C. 5.* Postea vero cum Lex *Valeria à
P. Val. Poplicola* Anno V. C. 245. lata fuerit qua *Cautum ne
Consul de Capite civis Romani injussu Populi quereret & ut pro-
vocatio adversus Magistratus ad Populum esset deminutum* fuit
illud *Fus Consulare & Imperium* atque illis demum agere per-
missum quos Populus quæstionibus præfecisset, *Res. l. 9. C. 18.*
Con-

Constituebat autem illos Populus vel *Consules* vel *Prætores* vel *Dictatores* qui *Senatus Consulto* vel *Lege* quotiescumque res posceret querere jubeantur. Hi autem *Quæstores Parricidii* sunt appellati quorum meminit *Pompon.* l. 2. §. 23. ff. de O. f. *Festus* etiam *Paricii Quæstores* appellantur, qui solebant *Creari* rerum capitalium quarendarum causa, (ubi *Scaliger* monet legendum *Paricidii*) ut *Cosso & Medullino Coll.* Anno CCCXL. Item Anno CCCXLIX & Anno DLXIV. & in eum modum usque ad annum DCIV. quæstiones publicæ fuerunt exercitæ; anno autem DCIV. Quæstiones perpetuæ factæ, i.e. *Ordinariae* & proprium *Quæsitorem* habere cuperunt. Intelligitur autem perpetua facta quæstio, cum in singulos annos *Prætori* mandatur. Hisce quidem Verbis *De Ea re Prætoris quæstio esto*, Item *Prætor qui ex hac Lege queret facito &c.* Uti docet *Sigon.* l. 2. C. 4. & *Rof.* l. 9. C. 18. Omnia autem *Judicia publica*, licet etiam *Quæstores* sint *Constituti*, ab illis *Ordinariis* facta non sunt, sed extra ordinem *quæstores* aut *SCto* aut *Plebiscito*, aut *Consulibus* aut aliis *Magistratibus* aut etiam *privatis hominibus* mandatae sunt. Partim quia nulla de illis *Constituendis lex erat lata*. Partim quia lata quidem sed pro *Rei atrocitate extra ordinem querendum*. Exempla quæras apud *Sigon.* l. 2. C. 4. hi *Quæstiores* sedentes in tribunali & *Sella Curuli*, *Judice* quæstionis operam navante & fidem, gladio posito judicium exercuerunt, cum selectis judicibus sedentibus in subselliis suis, *Scribis vero, Accensis, Præconibus, Lictoribus* alisque apparitoribus assistentibus. Hinc *Cic.* in *Orat. pro Cuentio.* inquit *Quid sibi illi scribæ, quid lictores, quid ceteri quos apparere huic quæstiōni video, volunt?*

I X.

Ipsam nunc *legem Pompejam* inspiciamus. Cavetur itaque hac *Lege* ut si quis Patrem, Matrem, Fratrem, Sororem, Patruellem, Matruellem, Patruum, Avunculum, Amitam, Consobrinum, Consobrinam, Virum, Uxorem, Generum, Scrum, Vitricum, Privignum, Privignam, Patronum, Patronam, Novercam, Sponsum, & eorum parentes occiderit, teneatur ea pena quæ est *L. Cornelie de Sicariis* l. 1. 3. 4. D. h. t.

14 DISPUTATIO JURIDICA

sed & Mater qui Filium, Filiamve occiderit, & Avus qui Nepotem, item is qui venenum emit ut patri daret quamvis non potuerit, hac poena ut Parricida punitur *L. i. D. b. t.* Et puniuntur Parricidæ hoc modo, ut Virgis sanguincis verberati, insuantur Culleo cum Cane & Gallo Gallinaceo, & Vipera & Simia, deinde in profundum Culleus jactetur *L. 9. D. b. t. §. 6. f. de P. f. Ros. l. 8. c. 25.* Singula nunc quæ moveri possunt circa hanc legem dubia & quæ negotium facessunt adjicere & solvere, quantum licet, tentabimus.

X.

Quæritur: *Cum Parentes qui liberos occidant non puniantur an potuerint ergo impune occidere.* R. matrem hujus legis poenam incurrire si filium filiamve occidat *L. i. ff. b. t. in fine.* quod vero ad patrem *utrum ille tunc impune occiderit,* quis rogabit? Distinguenda sunt tempora. Primo enim Patres *Jus Vita & Necis* in Liberos habuerunt *L. ii. D. de lib. & postib. & L. io. C. de P. P.* testatur idem *Plut. in Romulo. & Dionys. Halic. l. 8.* quod Jus non solum sub Regibus servatum sed a Decemviris firmatum in *LL. XII. tabb.* hæc sunt Verba. PARENTUM IN LIBEROS SPECIALE JUS ESTO RELEGANDI. VENDENDI. OCCIDENDI. quod etiam attestatur *Rav. ad LL. XII. tabb. C. 3.* Et non solum in filios proprios sed etiam in adoptivos hoc Jus illis competit, uti clarum ex *A. Gell. L. 5. C. 19.* ita verba sonant VELITIS. JUBEATIS. QUIRITES. UTI. L. VALERIUS. L. TITIO. TAM. JURE. LEGE. Q. FILIUS. SIBI. SIET. QUAM. SI. EX. EO. PATRE. MATRE. Q. FAMILIAS. NATUS. ESSET. UTI. Q. EI. VITÆ. NECIS. Q. IN. EO. POTESTAS. SIET. UTI. PATRI. ENDO. FILIUS. EST. H. J. U. D. U. V. Q. R. Atque ita quidem hujus Juris antiqui vestigium in *b. l. i. n. t.* remansisse putant Viri docti. *Wissemb. p. 2. D. b. t. n. 1. Cujac. l. 1. Observ. 17.* sed aliud Jus promulgatum & sanctum Constantini lege uti patet ex *L. un. C. de his q. par. vellib.* Et *Wesemb. in parat. ad D. b. t.* Illud autem addo per *JUS VITÆ ET NECIS.* Non intelligi debere liberum quoque modo Velis sœviendi arbitrium,

&

& Licentiam quandam excusantem à Crimine Parricidii, sed potestatem legiimam Capitalia scelera liberorum juste puniendi, Ideoque ut Justi Judices & domestici in vitia liberorum Censores, non Vero ut Tyranni adhibebantur. Domestica enim & intra privatos Lares habebant in filios judicia, ubi solebant vel Senatum, vel Principem, vel Necessarios & propinquos advocare eosque consulere. Sic etiam Augustus consilii judiciorum particeps fuit, nec erubuit intra privatos penetrare Penates. T. Arrius enim filium parricidii intentati reum, coram Principe & propinquis judicabat, & Massiliam relegabat. Filium quoque contumacem Judicii pater offerre poterat, qui ex ejus praescripto sententiam diceret & pœnam infligeret. l. 3. C. de P. P. & in tantum etiam *Jus Romanum* conveniens erat *Juri Divino*. Ubi ad judicem deferri filium rebellem & scelestum jubebatur. Ex Lege autem *Cornelia* qui filium indicta causa (nempe antequam ejus defensiones essent auditæ) necasset, de Homicidio tenebatur, uti patet ex l. 2. D. ad L. Corn. de Sic. Concludunt etiam multi summam hanc potestatem patribus magis concessam ad terrorem liberorum & liberos in officio retinendos, quam quod voluerint Legislatores effrenem & effusam licentiam ipsis concedere, qua pro libidine possent abuti. Voet ad J. de P. P. §. 2. Rittersh. Cl. 3. p. 1. C. 1. Legis enim duritiem pietate Paterna extingui credebant, & pro magno peccato paululum supplicii satim esse patri.

X I.

Occurrit hic illud Dubium quoque Utrum *Sola Conscientia ad Crimen parricidii sufficiat*. Præmittemus autem antequam quæ nostra sit sententia doceamus, quinam sint illi qui Consciorum nomine veniunt, & Eos intelligo qui in necem sunt cooperati & consilii scelerati participes. Quales sunt qui Venenum emerunt ut darent, licet non potuerint dare l. 1. ff. b. t. etiam L. un. C. de b. q. par. vel. Lib. Etiam illi qui pecuniam crediderunt, & illi qui ad perpetrandum facinus quæsiverunt l. 7. ff. b. t. Et hanc conscientiam ut pena Legis Pompejæ delinquenti infligatur sufficere testantur Perez. ad d. L. un. C. Brunem. eod. loco. Etiam Mynsing. ad J. de Publ. Jud. §. 6. Wesemb. ad D. h. t.

16 DISPUTATIO JURIDICA

b.t.n. 8. qui vero cognitas insidias reticuerunt, licet etiam teneantur, puniuntur extra ordinem, non vero ex hac Lege, uti docet *L. 2. D. b.t.* Ibi enim frater, qui cognoverat, non autem insidiarum fratrī in patrem particeps, fuit relegatus. Ideoque etiam errant illi qui tales fratrem *pœna parricidii* teneri putant inter quos est *Gomez: 3. Resol. 3. n. 4.* Excusat enim ab ultimo supplicio amor erga fratrem licet etiam sit perversus quod etiam affirman *Wissenb. p. 2. D. b.t. Harpr. ad §. 6. J. de P. J.* Etiam *Perez. in C. d. t. n. 7. P. Voet. ad §. 6. J. De P. J.*

X I I.

Ad pœnam *Parricidis* infligendam progrediamur quam *Theſi IX.* dedimus. Sed dubia circa eam venientia videamus. 1. *Moribus* hanc pœnam *Modestinus* adscribit quæ Legi ab aliis datur. Resp. autem, adscribi posse ideo *moribus* quia vim Legis habent, *l. 32. & 38. D. de LL.* sic etiam *Pairia* potestas dicitur *Moribus* recepta *l. 8. D. q. sui vel al. Jur.* 2. *More majorum* institutam *l. 9. ff. b.t.* quam tamen *Justinianus* appellat *Novam* *§. 6. J. de P. J.* Hujus vocis *novi* varia traditur significatio: *Novus* enim Romanis dicebatur qui nulla Majorum dignitate claruit, & quorum Majores nullos Magistratus Curules gesserunt *Cic. in Agrar.* inquit *me longo intervallo prope memorie temporumque nostrorum primum hominem novum Consulem fecisis.* Aliquando quoque *novus Homo* dicitur qui Consul factus cum ex familia nemo ante Consul fuerit, licet *Prætores* ex ea fuerint. Inde *Cicero* vocat *Murænam, Hominem novum* licet ejus *Pater, Avus, Proavus* *prætores* fuerint. *Homini* autem *novo* seu *ignobili* opponitur *homo veteris prosopæ & multarum imaginum.* Apud *Sallust. in B. J. C. 85.* Nobilitas etenim apud Romanos ostendebatur Majorum imaginibus, (Hinc *Jus Imaginum* pro *Jure Nobilitatis*) quæ dimidio corpore factæ servabantur in atriis. *Juvén. Sat. 8. v. 19.*

Tota licet veteres exornent undique Cere

Atria —————

Vide etiam *Figrel. C. II. de Stat. Rom.* qui late de hisce omnibus. Canit etiam *Stat. II. Thebaid.*

———— *Læto Regalia cœtu*
Atria complenur.

&

& quanto quis plures & fumo magis obductas tales ostentaret imagines, tanto censebatur Nobilior. *Novus homo* dicebatur etiam *servus manumissus* & *in servitatem postea redactus l. 27. D. de adim.* *leg.* legitur etiam *Novum pro eo quod auditum & priscum est l. 1. ff. de insp. vent. pœnam autem hanc alii novam dicunt pro vetusta & quæ in usu jam fuerat. Alii autem pro insolita, hanc vocem novam ponunt. Sen. in Hyppol. A. 1. Sc. 1.*

Mendacia audiu nova vel supra

Captum cogitationis ardua.

Val. Max. L. 1. C. 6. n. 4. Novitas monstri bovis mugientis sermone humano. Etiam Tac. l. 3. Hist. C. 55. Ubertatem insolitam vocat novam. Inquit etiam Imperator in L. 14. C. de Jud. Rem non novam neque insolitam aggredimur. Et in hanc quoque sententiam pedibus ivit Giphan. ad §. 6. J. de P. J. Etiam Huber. in Praelect. ad d. §. 6. Illi enim novam pro Rara & singulari pœnae ponunt. 3. Illud etiam addendum. Pœna parricidii dicitur ea quæ Legis Cornelie de Sicariis l. 1. D. b. t. illa autem fuit Depor-tatio l. 3. §. 5. ff. ad L. Corn. de Sicar. Verum hæc nihil movent scrupuli, tum enim Legis Cornelie pœna viget cum quis alias personas, quam eas qui nuncupatione parentum continentur, occiderit uti ex §. 6. J. de P. J. patet, junct. L. 9. §. 1. ff. b. t. testes etiam sunt Weſemb. ad ff. b. t. n. 3. Zoef. ad D. b. t. n. 5. Huber. ad J. §. 6. Sigan. l. 2. de Judic. C. 31. Schoran. Coll. Ju-rid. l. 4. Disp. 23. n. 16. Treut. 2. vol. Disp. 32. th. Boekelm. ad J. de P. J. n. 23. Ludwel. ad J. eod. litt. D. Etiam Horiom. ad J. d. t. litt. D. Tuldenus ad C. de b. q. par. vel. lib. n. 2.

X I I I.

Antequam pœnam Parricidarum ex lege Pompeja exponimus, videbimus alia quædam supplicia in eos statuta. Constat ex Suetonio in J. Cæs. C. 42. Mulctatos bonis parricidas Pœnas facinorum auxit, parricidas bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctavit. Ex veteri Lege Si quis parentes occiderit aut verberaverit ei damnato os obvolvatur folliculo Lupino, soleæ Ligneæ pedibus induantur & in carcerem deductus ibi sit tantiisper donec paretur Culleus, in quem conjectus in profuentem præcipitetur. Uti docet Sigan. l. 2. de Jud. C. 31. Ratio apud Turneb. exstat 13.

C

Advers.

Advers. C. 13. *Ne terram scilicet attacku improbo contaminarent omnium parentem, Parricidae etiam detinebantur domo aut carcere donec a Magistratibus debitum possent plecti poenis. Probat illud locus *Calp Flacci.* in declam. 4. Cui titulus *damnatus parricidii anno custodiatur;* non occidenti sed verberanti manus amputabantur quod testatur *Sen. l. 9. Controv. 4.* qui patrem pulsarit manus ei præcidantur. Hujus criminis rei etiam comburebantur ad palum cui manus & pedes clavis erant affixi subiecto igne ex sacramentis facto quæ poena viguit etiam tempore *Pauli JCTi l. 5. Recept. Sent. tit. 24.* Hi et si amea Culleo insuti in mare projiciebantur hodie ramen vivi exuruntur vel ad bestias damnantur.*

X I V.

Jubet lex Pompeja ut illi qui hujus criminis facti erant rei verberentur virgis sanguineis. *l. 9. D. b. t.* Videndum autem quæ fuerint illæ *Virge Sanguines.* Varie à variis hoc verbum expositum: Legerunt enim alii *Sanguinea.* Sed nequaquam hoc admittendum censemus, Ratio quia *Sagmina* quæ aliis *Verbena* sunt *Menag. Amæn. f. Civ.* in verbo Sanctum. Erant herbe quas legati *P.R.* circumferabant ne quis eos *Violaret l. 8. D. de R. Divis.* sicuti etiam legati Græcorum ferebant ea quæ vocantur *unponēta.* Foret itaque ridiculum hominem *scelestissimum* herba prope sancta cadere. Iterum alii legerunt *Saligineis* quia Salices sunt ripis amicæ. Obstat autem huic argumento illud *Plinii L. 16. C. 37. & L. 24. C. 10.* frutices quosdam *Sanguineos* dictos, ideo quod *Sanguinem* elicerent facile, in quam sententiam descendit. *Wifemb. p. 2. ff. b. t.* vel quod essent cruentatæ in horrorem uti de *Bellona* scribit *Virgil. l. 8. Aeneid. v. 703.*

Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Apud Romanos *facialis hasta sanguinea & cruenta bellum indicendi erat insigne. Liv. l. 1. C. 32.* ut *facialis hasta ferrata aut sanguineam præstam ad fines eorum ferret.* In eadem opinione verlatur *Ramos. l. 4. Error. Tribon.* qui *virgas ex ulmo factas & assidua Vapulatione sanguine reorum affectas putat.* huc etiam transfert locum *Plauti in Afr. A. 3. Sc. 2.*

*Ubi sepe ad languorem tua duritia dederis otto
Validos lictores, ulmeis affectos lentis virginis;*

Cæde-

Cædebantur itaque Parricidæ ab octo lictoribus validissimis qui
Virgatores dicti, & reum in carcere ad columnam alligabant.

Plaut. in Bacch. A. 4. Sc. 2.

————— *Subducito hunc*

Intro, atque adstringito ad columnam fortiter.

Meminit etiam horum octo lictorum idem *Plaut. in Amphitr.*

A. I. Sc. 1. ubi Sosia servus timet, Ne

Quasi incundem se miserum homines octo validi cadant
Hi Lictores seu Virgatores appellabantur Bruttiani. Ideo qui-
dem quia ex Bruttis erant: Hi primi ad Hannibalem descive-
rant, quod ægre patientes Romani, postquam victi fuere Pa-
triæ, eos ignominiae causa nec milites scriebant, nec pro so-
ciis habebant sed Magistratibus in Provincias euntibus parere
& præministrare servorum Vice jusserunt *A. Gell. l. 10 C. 3.*
Fertur etiam Hannibalem, cum exercitu totam Italiam in hunc
usque agrum Bruttiorum peragrasset, nihil magis Deos pre-
catum, quam ut incolumi è terra hostili discedere liceat. testan-
te *Cluv. l. 3. Geogr. C. 30.*

X V.

Ita quidem tum Cæsi in *Culleum* mittebantur Parricidæ *d. l. 9.*
ff. b. t. qui factus fuit ex Sparto uti testatur *Isidorus in Glossis.*
Hisce verbis *Culleus tunica ex sparto in modum Crumene facta*
qua linebatur à Populo pice & bitumine &c. verum cum cor-
ruptus hic sit Locus pro *Populo* legendum *Publico h. e. Carni-
fice,* atque ex ea materia factum testatur quoque *Turneb. l. 28.*
C. 5. Probat quoque *Juvén. Sat. 13. v. 155.* ex *Corio bovis* factam

Et deducendum Corio bovis in mare —————

Aliquando etiam ex *Corio Lupino* fuisse confectum, ideo quod
Lupus ex numero Impiorum & Crudelium animalium putat *Rit-
tersbusius ad 12. Tabb. Cl. 11. C. 11.* hoc loco quidem *Ovidii in-
ductus*

At Lupus ex turpes instant morientibus urbi.

Meminit hujus Cullei Sidon. *Apoll. L. 4. C. 23.* dignum abdica-
tione, *Cruce, Culleo, Clamans ceterisque suppliciis parricidalibus.* Et
solum *Culleum* parricidarum peccatum fuisse variis potest ostendi lo-
cis. *Firm. Lact. l. 13. C. 14.* *Nes ergo M. Tullii parricide sumus*

20 DISPUTATIO JURIDICA

& insuendit e Judice in Culleum. Item Val. Max. l. i. c. i.
N. 14. Culleo insutum in mare abisci possit idque supplicii genus
non multo post parricidis lege irrogatum est & hoc quidem poenæ
genere primus punitus Publicius Malleolus cum bello Cimbro
anno DCXL matrem necasset. Causam vero cur Parricidam in-
sui culleo voluere Veteres Cic. in Orat. pro Rosc. nitide exponit.
Nonne inquit videntur hunc hominem ex Rerum natura sustulisse
& eripuisse, cui Repente Cælum, Solem, Aquam, Terramque ade-
merunt, ut qui eum necasset unde ipse natus esset, caveret illis re-
bus omnibus ex quibus ea nata esse dicuntur: Non incommodè
etiam quadrat in hunc Locum iste Ovidii l. 8. Metam. Fab. i. de
Scylla quæ patrem Ni'am prodiderat

Dii te summoveant, ô nostri infamia Seclū
Orbe suo, tellusque tibi Pontusque negetur.

Et hoc supplicio non nisi confessi olim puniebantur, uti clarum
ex Suet. C. 33. in Aug. hæc sunt verba. Dixit jus non modo dili-
gentia summa sed & lenitate, si quidem manifesti Parricidiū reum, ne
culleo insueretur, quod non nisi confessi afficiuntur hac poena, ita fer-
tur interrogasse; Certe patrem tuum non occidisti? Testatur etiam Ta-
citus 4. Annal. C. 22. Tiberii Principatu Plantium Sylvanum Præ-
torem Aproniā Conjurę in præcepit jactā, quod factum negaret,
Morte, non autem Culleo punitum.

X V I.

Junguntur ex hac Lege Parricidæ Culleo insuto socii quadru-
plicis generis animalia. *Canis, Gallus, Vipera & Simia.* Mentionem
serpentis. Facit Sen. l. i. de Clem. loquens de Aug. non Cul-
leum inquit non serpentes, non Carcerem decrevit. Deinde Ju-
ven. Sat. 8. v. 213. & Serpentis & Simia meminit.

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec Culleus unus.

de quatuor vero animalibus istis conjunctim agit L. 9. ff. b. t. l. un.
C. de b. q. Par. vel lib. occid. hæc sunt Imperatoris verba. sed in-
sutus Culleo cum Cane & Gallo Gallinaceo, & Vipera & Simia, &
inter eas ferales angustias comprehensus, serpentum Comiternio misce-
atur. Et ideo quidem hanc poenam obtinuisse scribit Cic. Orat. 2.
pro Roscio, Ut quos natura ipsa in officio retinere non posset, magni-
tudine

tudine pœne maleficio summoverentur. Adduntur autem hæc animalia ea de causa, quia ut inquit *Theophilus* επειδὴν οὐοὶ ὄργονα δύτω
ἐστιν ipsi sunt simillima docet enim latin experientia *Canes & Gallos*
proprio non parcere generi, licet etiam in Gallo superbiam &
odium in viperas notent aliqui: atque ita animalia inimicissima
natura, sine intermissione pugnando majorem Parricidæ addebat
afflictionem: Comes erat *Vipera* quia nascendo matrem necat, uti
Colum. l. 8. C. 2. *Schonborn.* L. 1. Polit. C. 8. Etiam *Plin.* l. 10. C.
62. Itaque cetera tarditatis impatientes perrumpunt Latera occisa
parente. Jucundum est quod notat *Lips.* l. 3. Pol. C. 5. *Carolum*
Quintum Imperatorem Comitia Germanorum viperts assimilasse fal-
se quidem & acute, sicuti enim *vipera* tollit matrem, ita etiam
Germanorum decreta posteriora, tollere priora. Et *Johannes Baptista*
etiam *Luca* 3. v. 7. *Phariseos & Sadduceos* vocat Γερμανοὺς ἐχισθῶν
Progenies viperarum Uterque enim hic Partus exitialis est. *Vipe-
rae* quia matri perrumpit latera, *Phariseorum & Sadduceorum*
Ecclesiæ, cuius integritatem corruptum & scindit. Additur *Si-
mia* ideo quia cum homo non sit ex attamen videatur uti *Cic. En-
nio* L. 1. de *Nat. deorum*.

Simia quam similis turpissima bestia nobis.

ita etiam hominum numero non possit annumerari, qui pro-
prium occidat parentem.

X V I I.

Itaque hoc modo homo ille bipedum nequissimus, omnibus
quæ terra fert infelior, feris sociis in undas projicebatur *ut*
omni Elementorum usu vivus carere incipiat, & ei *Cælum* supersti-
ti, terra quidem mortuo auferatur. l. un. d. b. q. par. v. lib. vel ut
inquit *Cic. pro Rosc.* hisce verbis. *Nec etiam sic nudos* (intelligit
nundum culleo infusos) *ne cum delati essent in mare ipsum polluer-
ent*, quo cetera quæ violata sunt expiari putantur. Et paulo post
idem Eleganter ait, ita vivunt, dum possunt, *ut animam de Cæ-
lo ducere non queant*, ita moriuntur, *ut eorum ossa terra nontan-
gat*, ita jactantur fluctibus, *ut nunquam abluantur*, ita postremum
ejiciuntur, *ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant*. Etiam *Alex.*
ab *Alex.* l. 3. C. 5. inquit Parricidas his cum animalibus demergi,
ut inter ipsa infensorum animalium corpora & fera Laceratione cor-

22 DISPUTATIO JURIDICA

poris ab sceleris tanti immanitatem diro Cruciatuſ vulnere interiman-
tur, aigue ab omni elemento repudiata cadavera irreqüieto Labore &
perpetnis fluctibus agitantur.

X V I I I .

Videamus his missis unum aut alterum dubium, & primo quidam, num haec poena Parricide ex quibusdam causis possit remitti. Quod affirmare dubius non haereo, nimirum si Justi doloris vi vultus occiderit quemadmodum enim poena Legis Corneliae, eum non persequitur qui justo dolore concitatus hominem occiderit l. 1. §. 5. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 38. ff. ad L. Jul. de Adult. l. 4. C. cod. l. 3. § 3. ff. ad SCtum Syllan. ita etiam Parricidæ tali casu Parricidii supplicium non infligi debere puto ex L. 5. ff. b. t. Eckbolt. ad ff. b. t. n. 9. Verum hoc nobis faciliſit negotium quan-
nam justi doloris cauſe ſint. Audio mihi regeri earum loco venire, que filium ex heredem faciunt. quod etiam Viri Docti multi putant. Harppr. §. 6. f. de P. f. n. 31. Wesembec. ad ff. b. t. n. 6. Hyppol. de Marſ. ad L. Pomp. n. 15. Berlich. p. 4. Concl. 6. n. 87. Moll. p. 4. Conſt. 3. n. 23. Verum ineptum hoc & plenum periculi: ſi enim ſequatur Mimos, ſi malis ſeſe ſociet utrum hoc patrem excuſabit à poena L. Pompeja: non facile eorum in ſententiam pedibus irem: ſed meo judicio ille verus & justus dolor cendendus quem ne Clementiſſimus quidem ſufferre, poſſit, & eo motus, ei, qui cauſam prebuit, parcere: Et illius tam in Ju-
re quam apud probatos Auctores ſunt exempla. In L. 5. ff. b. t. Pater qui Filium in venatione occiderat quod novercam adulteraret in Insulam ab Hadriano fuit deportatus. Et eo caſu non ſine ratione poenam L. Pompeja non obtinuisse locum puto, vi-
tiare enim Cubile paternum justiſſimus dolor eſt attamen quia La-
tronis magis quam patris personam egit, in Insulam fuit deporta-
tus d. l. 5. ff. b. t. Apud probatos Auctores Val. Max. l. 8. C. 1.
N. 1. Gell. l. 12. C. 7. Noct. Attic. Sed in transitu hic aliquem mihi adverſarium audio, qui meo me jugulare tentat gladio: Negasti, inquit, ſi quis filium occiderit ex tali cauſa propter quam ex heredari poſſet ei quidem, poenam l. Pompeja remitti, eosque qui pro ea opinione ſtant errare docuſti, at tu ipſe hic tale promis exemplum: Acu rem tetigiffe putas Bone Vir, inu-
tilis

tilis tamen, hæc tua subtilitas nihil movet, nobis scrupuli; Et enim non ea propter videor ad eorum accedere sententiam, quia leges mihi justissimi doloris, propter quem mitigata *L. Pompeja* poena, exemplum suppeditant, quod ex accidenti etiam ex-hæredationis causa sit: Videamus nunc num propter stuprum, quo si pater filiam occidat mitigari possit hæc poena? affirmare ausim & docet etiam *Wissemb.* p. 2. ff. b. t. n. 6. Sic de *Virginio* legimus, qui filiam cum *Appium* videret ipsi velle illudere, nec alia tanto periculo eripiendi occurreret ratio, occidebat. *Liv.* l. 3. C. 48. l. 2. §. 24. ff. de *O. J.* pro affectu enim in Liberos quam maxime parentes terrentur. *L. 8. §. 7. ff. met. causa.* Potest etiam illud addi quod qui *Latrani Stomacho* ex Filii imperfecti carne dapes quesierii hac pena non sit puniendus. Ratio quia acutissimum fames telum est, nec pietatis nec sapientiae precepta admittit venter carens auribus & verissime dixit *Menander*

Διμος μεγίστον ἀνθρώποις ἐφυ

Fames maximus dolor hominibus est.

In Sacris Litteris etiam nullum de mactato hoc casu filio Judicium Constitutum legimus uti ex 2. Reg. C. 6. v. 28. & seqq. & *Josepho* L. 9. *Antiq. Ind. G. 4.* Etiam *Tiraq. Gl. I. n. 26. du Retraict. Lignag.* famis acerbitatem narrans, jucunda addit multa, Lectorem cupidum eo remittimus, quia breves esse studemus.

X V I I I I .

Veniat hoc loco illa quæstio intricata quidem & difficilis, Utrum Patrem Patriæ proditorem filius occidat impune quod maxime clarum ex L. 35. ff. de Relig. & sumpt. Fun. ubi *Marcellus* respondit, sine scelere occidi tales patrem, imo etiam præmio affidum filium. Sed acutius hæc quodammodo nobis examinanda veniunt, pietatis enim reverentia cum uilitate Publica certare videtur. Satin clara & speciosa sunt argumenta cur Veteres ita judicarint, apud omnes enim Sapientes pro certo & judicato est Patriam omnibus necessitudinibus præferendam. Sic enim inquit Cic. L. 1. de offi. C. 17. *Omnium societatum nulla est gratior, nulla Charior, quam ea qua cum Rep. est unicuique nostrum, Chari sunt parentes, Chari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium Charitates patria una Complexa est:* Idem quo que judicat *Val.*

Max.

24 DISPUTATIO JURIDICA

Max. L. 5. 6. Ex quibus Locis patet quod si patri aut patriæ sit pereundum si ad hanc delendam parens veniat, ad ipsum potius quam Patriam malum & mors redeat, nam teste *Plato l. 7.* de *LL.* *Pueri magis Civitatis quam parentium liberi sunt.* Et *Cicero* hanc quæstionem tractans *L. 3. de Off. C. 23.* inquit, *Quid si Tyrannidem, occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius?* *Imo obsecrabit patrem ne id faciat, si proficiet nihil, accusabit, minabitur etiam: ad extremum si ad perniciem patriæ spectabit, patria salutem anteponet patris salutis.* Cum prægnantia sint quæ pro hac parte faciant argumenta, non minora aut minus speciosa sunt quæ pro altera quidem militant, Inquit *Imperator noster Nov. 12. C. 4.* *Licet impins sit & contemptor Patriæ pater attamen pater est.* Et querit *Quintil. in Declam. 286.* *Quod tantum scelus inveniri possit quod sit parricidio vindicandum?* Nullo enim hominum placito reverentia Jure Naturæ parentibus debita deleri aut extingui potest *Wijsemb. 2. p. p. ff. b. t. n. 6.* Verum est hostes sunt, *attamen parentes, Vim faciunt, Honestius vincemur quam vincemus:* Memoratu tamen dignum est exemplum quod apud *Venetos* accidisse legimus, quod hoc casu vix præterire silentio possum, ubi filio qui patrem proscriptum occiderat, legibus data fuerint præmia. Merito autem & ex ratione hoc factum detestatur *Bod. I. i. C. 4.* hisce quidem verbis, *Præstari urbem Venetorum prius voragine absorberi quam tantorum scelerum immanitati dedisse præmia;* Quapropter cum inter tot ab utroque latere argumentorum pondera vix expedire possimus, & quid præferendum aut judicandum vix gnari, hoc dubium distinctione finiendum statuimus, quam occasione data quærenti dabimus;

X X.

Summam manum huic disputationi Inaugurali, cum sit animus, imponere, restat ut videamus quæ pœna in parricidas Moribus obtineat, & num diversa sit a *J. Rom.* varie quidem procurusque gentis Moribus & Consuetudine Pununtur parricidæ. Ut testantur, *Groenew. de LL. abrog. ad §. 6. J. de P. J. Gudel, de J. Noviss. l. 5. C. 7. Damb. in Pr. Crimin. C. 89. n. 3. Berlich. p. 4. Concl. 6. n. 17. S. van Leeuwen l. 5. Cens. for. C. 14. n. 3. Menoch.*

noch. de arbitr. *Jud. quæst.* l. 2. *Cent.* 4. C. 356. n. 8. *Perez.* ad C. L. un. de h. q. par. vel Lib.. In Gallia non afficiuntur poena ad L. un. C. sed ultimum supplicium sufficit, aliquanto tamen solito gravius *Rebuff.* ad *Constit. Reg.* in præm. gl. 5. n. 108. In nostro Belgio etiam cullei poena non attenditur, qui infantes enim occidunt ad palum strangulantur teste *Viro Celeb.* P. *Voet.* ad *J. b. t.* n. 6. Et *Groenew.* add. §. 6. J. Si vero infans in Lucem vivus nequaquam prodierit & a matre in aquam projectus sit, poena capitalis remittitur, uti docet *Sand.* l. 5. t. 9. *Def.* 3. Et docet *Papon.* in *Arr. L. 22. T. 5. arr. 3.* *Henricum II.* Edicto suo 2. in *Parlam. Parisiensi* publicato 4. *Martii 1556.* poenam capitalem decrevisse in eas quæ Liberos suppressissent vel vivos vel mortuos. Qui vero parentes occiderunt puniuntur Crurifragio uti *Clariss.* J. *Voet adff. b. t.* docet. Multum tamen hic valet Judicis arbitrium : In Hispania. Locum sibi adhuc vindicat Culleus, *Gomez.* C. 3. *Resol.* n. 3. teste, non tamen nisi necatus Parricida insuitur. In Saxonia etiam & Cullei & animalium obtinet supplicium verum in hoc differt, quod loco *Simiae* ibidem substituatur *Felis*, nec Culleus linatur ut statim possit aquis suffocari. *Brunem.* ad t. C. q. par. v. lib. occid. & *Carpz.* pr. *Crim.* p. 1. q. 8. n. 16. In Anglia si maritus ab uxore occisus illa incendio concrematur *Smith.* l. 2. *Reip. Engl.* C. 27. In Germania vero projiciuntur in flumen, cuius Rei exemplum ante aliquot annos nobis datum. Cadaver *Thielam* appellens omni populo spectatum, alligatum asseri, saevis jactatum fluctibus Vabali innatabat, manibus post Tergum revinctis : pectori lignum erat cum inscriptione affixum, Litteræ autem undarum invidia quidem deletæ. Sed alii iterum aliter hoc scelus vindicant, sunt enim qui contenti ultimo suppicio, (gravius attamen quam Sicarii puniuntur,) reorum membra rota comminuant, vel candente forcipe dilacerent, vel trahæ impositi per Viam urbisque plateas & vicos trahant, teste *Brunem.* ad L. d. t. Atque hic nobis meta sit & hæc pro instituti ratione sufficient, videat *Æquus Lector* num quid ad palatum, quæ exaggeravimus, si non, militat pro nobis Regula Juris Ultra posse neminem obligari

*Et si quid novisti rectius istis
Candidius imperti, si non his utere mecum.*

COROLLARIA.

I.

Non dantur actiones origine mixta
partim in Rem partim vero in
personam.

II.

*Incestuosum filium qui occidit non com-
mittit Parricidium, nec puniendus Le-
ge Pompeja.*

III.

*Emphyteusis non requirit necessario scri-
pturam.*

IV.

*Campo licet prius custodiam bonorum il-
lius, qui apud eum devertit, in se se-
suscepit, postea tamen cum protesta-
tione*

tione & consensu alterius Claves Cu-
biculi , ut ipse custodiat bona , reddat ,
non tenetur ex Ed. Præt.

V.

Recte legitur in subscriptione L. 6. C. de P.
Potestate P. P. XVII. Cal. Dec. Ma-
ximiano & Januario Coss. 288. quod
fastis Consularibus respondet , pro quo
alii tamen scribendum putant Maxi-
mo & Januario.

V I.

Usuræ sunt licite & Jure Divino & Ci-
vili.

V I I.

Fidejussor in majorem summam obligatus
quam Reus principalis omnino non te-
netur.

VIII. Prin-

V I I I.

*Princeps sine justa causa nemini potest
Jus suum auferre.*

F I N I S.

